

PERIODICA DE RE MORALI, CANONICA, LITURGICA


vol. 74 (1985) pag. 43-62

---

**Ecclesia universalis an Ecclesia universa?  
Investigatio terminologica in textum LG**

**Gianpaolo Montini**

**ROMA  
PONTIFICIA UNIVERSITA' GREGORIANA  
PIAZZA DELLA PILOTTA, 4**



## ECCLESIA UNIVERSALIS AN ECCLESIA UNIVERSA?

### INVESTIGATIO TERMINOLOGICA IN TEXTUM *LG*.

**SUMMARIUM:** Studium investigare intendit rationem iuxta quam Concilium in *LG* diversas locutiones adhibet ad Ecclesiam per totum orbem diffusam indicandam, 'Ecclesia universalis' scilicet et 'Ecclesia universa'.

Examini subiciuntur loca eorumque contextus *LG* ubi hae locutiones inveniuntur, itinera horum locorum ex Actis Concilii de prompta necnon translationes eorundem in modernos sermones.

Tandem aliquando conclusiones depromuntur ex quibus locutiones apparent ut complementares, aptas scilicet ad indicandam naturam *simul* quantitativam et qualitativam Ecclesiae per totum orbem diffusae.

Disquisitionum cumulus paene infinitus de relatione Ecclesiam universalem inter et Ecclesiam particularem seu localem exstat. Nobis ergo non erit hanc latam implexamque quaestionem aggredi: tantummodo utrumque vocabulum dilucidare intendimus et quidem per examen quoddam terminologiae Constitutionis dogmaticae De Ecclesia «Lumen Gentium» (*LG*) Concilii Oecumenici Vaticani II. Ad huius textus intelligentiam assequendam fere exclusive Actis Concilii<sup>1</sup> utemur, quia tantum sensus genuinus textus omnis constructionis dogmaticae vel canonicae basis esse potest. Nobis propterea erit locus *LG* ubi conceptus 'Ec-

---

<sup>1</sup> *Acta et documenta Concilio Oecumenico Vaticano Secundo apparando*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1960-1969 (*AD*); *Acta synodalia Sacrosancti Concilii Vaticani Secundi*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1970-1978 (*AS*).

clesia universalis' adest examini subicere, eos intelligere et, tandem aliquando, aliquas conclusiones depro-  
mere quae perutiles esse possint etiam ad illam neces-  
situdinem inter Ecclesiam universalem et Ecclesiam  
particularem seu localem illustrandam.

### *Notationes praeviae*

In textum *LG* prima vice inspicienti quaerentique  
circa Ecclesiae universalis conceptum lucem afferre,  
observatio maximi momenti occurrit: textus ille dua-  
bus locutionibus diversis utitur, '*Ecclesia universa*' sci-  
licet et '*Ecclesia universalis*'.

Voce '*universus, a, um*' Concilium centies sexagies  
octies (168) utitur, dum *LG* eum tricies semel (31) ad-  
hibet atque semel invenitur in *Nota explicativa praevia*  
(*NEP*), ut repetitio tamen textus ipsius *LG*. Locutio il-  
la '*Ecclesia universa*' sexies tantum in *LG* apparet et  
semel in *NEP*.

Octogies semel (81) adest vox '*universalis, is*' in  
documentis Concilii; vicies semel (21), e contra, in *LG*  
et semel in *NEP*.

'*Ecclesia universalis*' ut locutio decies in *LG* adhi-  
betur et semel in *NEP*.

### *Ecclesia universalis*

«*Credentes autem in Christum convocare statuit (Pater) in  
sancta Ecclesia, quae iam ab origine mundi praefigurata, in  
historia populi Israel ac foedere antiquo mirabiliter praepara-  
ta, in novissimis temporibus constituta, effuso Spiritu est ma-  
nifestata, et in fine saeculorum gloriose consummabitur. Tunc  
autem, sicut apud sanctos Patres legitur, omnes iusti inde ab  
Adam, "ab Abel iusto usque ad ultimum electum" in Ecclesia  
universali apud Patrem congregabuntur*». *LG* 2.

Textus hic prima vice in Schemate *PH* 3 apparet<sup>2</sup>. In finem n. 2 Schematis *DF* 1 transfertur<sup>3</sup>, quia, ut in *Relatione de n. 2* legitur, planius contextui theologico huius numeri congruit<sup>4</sup>. Revera translatio haec ita effecit ut Ecclesia universalis non amplius ab Abel ad Christum, sed ut '*Ecclesia consummata in fine saeculorum*' appareret<sup>5</sup>.

Ad sensum huius loci intelligendum, inutilis sequens notatio non evadit: in eodem Schemate (*PH* 3) additur *LG* 9c<sup>6</sup>, qui non paucas similitudines cum notatione n. 1, nostro textui adposita in Schemate *PH* 3, praesefert:

«*Pro illis omnibus, esse de corpore Christi vel Ecclesiae, inde ab Adam vel ab Abel, significat: per fidem a Christo, unico*

<sup>2</sup> Hoc modo designabimus Schema missum Patribus a Commissione doctrinali mensibus maii et augusti anni 1963. Textus inveniri potest in ALBERIGO G. - MAGISTRETTI F., *Constitutionis dogmaticae Lumen Gentium synopsis historica*, Bologna 1975 (*SH*).

<sup>3</sup> Hoc modo designabimus Schema, post disceptationem in aula Concilii mensibus septembris et octobris anni 1963 habitam, a Commissione de doctrina fidei et morum ante mensem aprilis anni 1967 confectum et publici iuris factum. Textus invenitur in *SH*.

<sup>4</sup> «Sententia secunda antiqui textus ad finem paragraphi, cum parva immutatione, transfertur. In loco quo primitus ponebatur faciebat difficultatem, ut a pluribus observatum est, quia agebat de "Ecclesia universali" ... dum paulo infra agebatur de Ecclesia catholica sensu strictiore. Difficultas tamen enervatur ex eo quod in fine paragraphi perspectiva extenditur ad omnes electos...» (*AS* III/I, 171-172).

<sup>5</sup> Cfr. ad hoc contextum immediatum nostrae citationis in textu.

<sup>6</sup> «...Deus congregationem eorum qui in Iesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium, credentes aspiciunt, convocavit et constituit Ecclesiam, ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis. Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, dum tamen simul tempora et fines populorum transcendit» (*LG* 9c).

*mediatore, cuius influxus efficax tempora et loca transcendit, salutem accipere. Ecclesia sic concepta ut communio salutis et gratiae, per incarnationem Verbi pressius determinatur ut societas hierarchica et communitas mediorum salutis, sed semper in eadem perspectiva universali et eschatologica. Cf. Y. M. CONGAR, Ecclesia ab Abel...»<sup>7</sup>.*

Locus iste Ecclesiae naturam ut communionem salutis et gratiae ab eo quod Christi influxus tempora et loca transcendit desumit.

Dynamismus hic nihilominus in Incarnationis Mystério mutatur, quod tamen non destruit universalem et eschatologicam perspectivam. E contra, quod transcendat loca et tempora, permanet, etiamsi alia ratione interpretandum sit.

Huius loci inimici non defuerunt. Pater quidam, ex.gr., pro deletione locutionis 'Ecclesia ab Abel' se pronuntiabat, quia hoc modo «*declinabuntur ambiguitates et confusiones facile gignendae usu vocis 'Ecclesia'... sensu a-temporali et a-sociali...*»<sup>8</sup>.

*«Apostoli autem praedicando ubique Evangelium (cf. Mc. 16,20) ab audientibus Spiritu Sancto operante acceptum, Ecclesiam congregant universalem, quam Dominus in Apostolis condidit et supra beatum Petrum, eorum principem, aedificavit, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (cf. Apoc. 21,14; Mt. 16,18; Eph. 2,20)».* LG 19.

Hic n. 19 est opus Philips et inseritur prima vice in Schema PH 1<sup>9</sup>. In hoc numero universalitas Apo-

<sup>7</sup> AS II/I, 222. Haec pars notationis suppressa est in sequentibus Schematibus.

<sup>8</sup> Cfr. interventum scriptum I.I. MacEleney, episcopi Kingstonensis, in AS II/I, 689.

<sup>9</sup> Hoc modo designabimus Schema «Concilium duce Spiritu», magis notum sub nomine «Schema Philips»: publici iuris factum est inter Patres conciliares a die 22 novembris anni 1962. Textus invenitur in SH.

stolorum missionis pluries in evidentiam venit: «... *et ad omnes gentes misit* (cf. Rom. 1,16) ... *ut ... omnes populos discipulos Ipsius facerent* ... (Act. 1,8) ...»<sup>10</sup>.

Valide arguendum est ergo nostro in textu locutio '*universalis*' nihil aliud dicere velit quam quod de missione apostolica dicitur, quod scilicet extendenda est ad omnia tempora et loca.

Hanc interpretationem notatio numeri 5 textui Schematis PH 3 adnexa firmat, ubi dicitur quod Ecclesia est «*simul ... terrestris et descendens de caelo, eschatologica et messianica, omnibus gentibus aperta*», dum referentiam dat Apoc. 21,14<sup>11</sup>.

Certe noster textus per plures et acerrimas oppositiones invenit, ad suppressionem vel mutationem verbi '*universalis*' intentas<sup>12</sup>. Commissio autem textum prout iacebat tenuit.

«*Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut portionem Ecclesiae universalis, ipsi efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum*». LG 23b.

Textus iste inter omnes principalior et propter locum et propter vicissitudines textuales et criticas evadit.

<sup>10</sup> LG 19.

<sup>11</sup> AS II/I, 241.

<sup>12</sup> Schema sic dictum italicum (mense ianuarii anni 1963) '*universalem*' omittit (cfr. SH, 420). Patriarcha Antiochiae Melchitarum, Maximus IV Saigh sequentem variantem suggerit: «*unam extruunt sanctam, catholicam et apostolicam* ...» (AS II/II, 243). Ioannes Abasolo y Leque, episcopus Vijayapuramensis, proponit: «... Ecclesiam per universum mundum propagant ...» (AS II/II, 257). Custodius Alvim Pereira, archiepiscopus de Lourenço Marques, nomine quoque 38 episcoporum, proponit: «Ecclesiam extruunt universalem» aliter redigatur v.gr. «Ecclesiam super Petrum aedificatam ad universum extendunt» (AS II/II, 501).

Prima vice invenitur in Schemate *PR*<sup>13</sup>, dum omittitur in Schemate *PH* 1. Textus hic huic evolutioni subicitur:

*PR*: «propriam suam Ecclesiam ut partem Ecclesiae Universalis...»;  
*PH* 2: «propriam suam Ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis...»<sup>14</sup>;  
*PH* 3: «propriam Ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis...»;  
*DF* 1: «propriam Ecclesiam ut portionem Ecclesiae universalis...»<sup>15</sup>.

Mutatio principalis e voce 'pars' ad verbum 'portio' explicatur in *Relatione de n. 23, olim n. 17*, ex eo quod altera locutio magis consonans theologicae loquelae apparet<sup>16</sup>. Haec emendatio revera originem sumere videtur a sententia P. ROUGÉ:

«...proponimus ut tollatur expressio "ut partem Ecclesiae universalis" quia contradicit... quod unaquaeque ecclesia localis ipsam universalem Ecclesiam repraesentat»<sup>17</sup>.

Ne emendatio quidem ista acceptabilem reddere debebat textum, si in *Modo 136* Commissio ulteriores suggestiones emendationum reicere debuit.

<sup>13</sup> Hoc modo designabimus Schema praeparatorium «Aeternus Unigeniti Pater», a Commissione theologica praeparatoria confectum et in congregatione generali XXV, die 23 novembris anni 1962, Patribus traditum. Textus inveniri potest in *AS* I/IV, 12-91.

<sup>14</sup> Hoc modo (*PH* 2) designabimus Schema «*Lumen Gentium*» quod Commissio doctrinalis die 6 martii anni 1963 ut instrumentum laboris assumit. Textus inveniri potest in *SH*.

<sup>15</sup> *SH*, 114. Sublineationes nostrae.

<sup>16</sup> Cfr. *AS* III/I, 248.

<sup>17</sup> Proposuit ergo hanc emendationem: «...Ecclesiam ut *Mysterium catholicae communionis sese in celebratione eucharistica manifestans qua in hoc tempore consociatur Ecclesia*» (*AS* II/II, 868). Cfr. etiam intensionem similem episcoporum provinciae Aquensis et Avenionensis et dioecesis Massiliensis (*AS*, II/II, 910). Cfr. etiam interventum scriptum Pauli Leonis SEITZ, episcopus Kontumensis: «"Partem Ecclesiae universalis": danger de la logique arithmétique et du juridisme» (*AS* II/I, 715).



«Proponit unus Pater ut omittantur verba: "Ut portionem Ecclesiae universalis", quia inutilia. Tres Patres, e contra, proponunt ut nexus Ecclesiae particularis cum Ecclesia universali clarius indicetur per verba: "bene regendo propriam Ecclesiam in Ecclesia universali", vel: "bene regendo propriam Ecclesiam in mente Ecclesiae universalis". Denique duo Patres hanc formulam suggerunt: "propriam Ecclesiam, in qua mysterium Ecclesiae universalis repraesentatur".

R. - Utilis est haec idea, quae ceterum in textu breviter exprimitur. Amplior autem descriptio invenitur supra»<sup>18</sup>.

Improbationes etiam circa locutionem 'corpus Ecclesiarum' adfuerunt; reiectae sunt tamen quia «idea a Patribus affirmatur»<sup>19</sup>.

Propositio tamen omnium maioris momenti in notatione huic textui a Commissione adposita, in Schemate PH 3, continetur notatione 41.

«Doctrina de Ecclesia sub duplici aspectu complementario elaborata est, sive ut "communio Ecclesiarum", quae suis Episcopis repraesentantur, sive ut "Ecclesia unica" et universalis, cuius caput et centrum est Episcopus Romanus. Primus aspectus apparet v.g. in CONC. NIC., can 15 ... Altera idea, de uno Populo Dei, effertur v.g. a S. LEONE M., Epist. 14, 11: PL 54, 676. Conceptio de Ecclesia locali arcte connectitur cum celebratione Eucharistiae, de qua cf. infra sub nota 57»<sup>20</sup>.

Primum quidem conamen evadit conciliandi ecclesiologiam s.d. 'universalisticam' novis fermentis quae peculiari modo de missione et gravitate Ecclesiae localis loquendo in lucem venerant.

<sup>18</sup> AS III/VIII, 84.

<sup>19</sup> Modus 137, in AS III/VIII, 84.

<sup>20</sup> AS II/I, 248. Notatio haec supprimitur in sequentibus Schematibus.

Nihil obstat quod textus *LG* 23b iam in Schemate *PR* receptus est. Saepe in Concilio textus initio reiecti, reassumpti sunt, sed certe in novo contextu, sine dubio primaevum sensum ipsius textus mutante. Ita nostro in casu.

*«Divina autem Providentia factum est ut variae variis in locis ab Apostolis eorumque successoribus institutae Ecclesiae decursu temporum in plures coaluerint coetus, organice coniunctos, qui, salva fidei unitate et unica divina constitutione universalis Ecclesiae, gaudent propria disciplina, proprio liturgico usu, theologico spiritualique patrimonio». LG 23d.*

Excerptum hoc pars est additionis Schematis *DF* 1 atque hoc modo a Commissione explicatae:

*«Additur haec nova pericopa de coniunctione plurium dioecesium in uno coetu organice constituto, ad indicandum factum historicum peculiaris relationis inter Ecclesias quae communem habent originem, unde oritur arcta unio inter Episcopos illarum Ecclesiarum sub forma Patriarchatus ...»<sup>21</sup>.*

Huismodi additio ex suggestionem E. ZOGHBY provenire videtur, in *XLIX* congregatione generali exposita<sup>22</sup>.

Nostro in textu clare et firme Ecclesia universalis constitutionem divinam habere affirmatur, et quidem unicam supra Petri fundamentum. Ibi enim implicite Petrus cum divina et unica constitutionis Ecclesiae universalis coniungitur.

Emendatio quae ortum dedit nostro textui, paucis diebus ante approbationem conciliarem *LG* in epistula PAULI VI ad card. OTTAVIANI suggeritur:

---

<sup>21</sup> *AS* III/I, 249.

<sup>22</sup> *AS* II/II, 618.

«Pag. 66 — linea 24: “salva fidei unitate ... ‘*sembra bene aggiungere:*’ et unica divina constitutione universalis Ecclesiae super Petrum fundatae”»<sup>23</sup>.

Epistulae adnectebatur votum P. BERTRAMS, quod quidem fons directus suggestionis pontificiae exstat<sup>24</sup>.

Commissio voluntati R. Pontificis indirecte in *Modo 144* respondet, ubi, varias propositiones circa textum colligendo, affirmat:

«*Primatus Summi Pontificis ad fidem pertinet. Scribitur tamen explicite: “salva fidei unitate et unica divina constitutione universalis Ecclesiae”*»<sup>25</sup>.

«*Tunc enim Romanus Pontifex non ut persona privata sententiam profert, sed ut universalis Ecclesiae magister supremus, in quo charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae singulariter inest, doctrinam fidei catholicae exponit vel tuetur*». LG 25c.

Concilium ibi necessitudinem inter Summum Pontificem qua Caput Collegii episcoporum et eundem qua Caput Ecclesiae universalis in lucem ponit.

In Schemate *PR* legebatur: «*tamquam universalis Ecclesiae Pastor et Doctor et Collegii Episcoporum Caput*», dum in Schemate *PH 1* textus reducebatur: «*sed ut Caput Ecclesiae universalis*». Schemata *PH 2* et *PH 3* textum innovant: «*tamquam Doctor et Pastor Ecclesiae universalis*», dum definitive *LG* affirmat: «*sed ut universalis Ecclesiae magister supremus*»<sup>26</sup>.

Perutile erit nostrum textum, aliae locutioni ipsius *LG 25*, in analogo contextu, coniungere: «*ut supremus omnium Christifidelium pastor et doctor*»; quae locutio

<sup>23</sup> Epistula diei 10 novembris anni 1964 (cfr. *SH*, 515-516).

<sup>24</sup> *SH*, 517.

<sup>25</sup> *AS III/VIII*, 85-86.

<sup>26</sup> *SH*, 130.

addebatur in Schemate *DF 2*<sup>27</sup> ex Pauli VI suggestione. Non est insuper oblivioni tradendum quod *Relatio de n. 25*<sup>28</sup> et *Modus 168*<sup>29</sup> mentionem faciunt nostri textus ad librandam expressionem «*Collegii Episcoporum Caput*», quam Paulus VI suppressere intendebat, etiamsi Commissio in eius minime restrictivo sensu instabat.

*«Qui sub auctoritate Episcopi portionem gregis dominici sibi addictam sanctificant et regunt, Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt et in aedificando toto corpore Christi (cf. Eph. 4,12) validam opem offerunt». LG 28b.*

Textus iste positus est in n. 28, ubi agitur de presbyteris. Pars cuiusdam additionis Schematis *DF 1* constituit.

Praecise est praemissa affirmationis intimae fraternitatis inter omnes presbyteros existentis ex una eademque ordinatione et missione. Paulum supra *LG* affirmaverat quod presbyteri «*quodammodo praesentem reddunt*» episcopum in localibus congregationibus.

Nostro in excerpto affirmatur presbyteros Ecclesiam universalem visibilem reddere. Hoc tamen aliquam Ecclesiam invisibilem postulare non significat. E contra, presbyteri visibilem reddunt 'in suo loco' illam Ecclesiam quae visibilis est iam ubique.

*«Collegium enim necessario et semper Caput suum cointelligit, quod in Collegio integrum servat suum munus Vicarii Christi et Pastoris Ecclesiae universalis». NEP 3°.*

---

<sup>27</sup> Hoc modo designabimus Schema «Lumen Gentium» Patribus die 7 iulii anni 1964 transmissum, scilicet post emendationes a Paulo VI propositas. Textus inveniri potest in *SH*.

<sup>28</sup> *AS III/I*, 251-252.

<sup>29</sup> *AS III/VIII*, 90.

Excerptum hoc magni ponderis est propter aliquas peculiaritates. Aberat imprimis in *Addendis* Philips, ex quibus quidem *NEP* deprompta est <sup>30</sup>.

Scriptura typis italicis partis nostri textus induceret ut cogitaret quis illam partem aliquam citationem ad litteram esse alicuius textus *LG*, uti paulo supra accidit in *NEP*, ubi scriptura typis italicis cessat solummodo propter aliquam variationem quam *NEP* introducere cupiebat in textu ipso *LG* <sup>31</sup>. Nostro in casu unus locus quidem *similis* inveniri potest in *LG* 22b, ubi, per suggestionem Pauli VI, additum erat: «... *Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Pastoris*» <sup>32</sup>.

Licitum est quaerere utrum auctor *NEP* textum *LG* in citatione propter identitatem inter 'totius' et 'universalis', an propter perfectiorem locutionem immutet <sup>33</sup>.

---

<sup>30</sup> *SH*, 512-514.

<sup>31</sup> Cfr. *NEP* 3° initio.

<sup>32</sup> «Proponitur in *Suggestionibus* a S. Pontifice missis ut in linea 41 par. *Collegium* prosequatur textus: "Romanus Pontifex habet in Ecclesiam, vi muneris sui, *Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Capitis*, plenam, *supremam* et universalem potestatem, *quam semper libere exercere valet*". Admittitur cum leviori emendatione, scilicet: dicitur secundum suggestionem: in Ecclesiam, sicut paulo infra, lin. 9-10, etiam de Ordine Episcoporum dicitur. Loco tamen "*Ecclesiae Capitis*" in hoc contextu dicitur: "*totius Ecclesiae Pastoris*", ut expressio sit magis concors cum locutione biblica, secundum quam Christus dicitur *Caput* Corporis, Petrus vero *Pastor* gregis, cf. *Io.* 21, 16-17: "Pasce agnos meos... pasce oves meas"» (*AS* III/I, 244).

<sup>33</sup> Idem obvenit voci 'totius' in n. 4 primae redactionis *NEP*: «*Summus Pontifex, utpote Pastor supremus totius Ecclesiae ...*». In textu definitivo legitur enim: «*Summus Pontifex, utpote Pastor Supremus Ecclesiae ...*» (cfr. *SH*, 513).

*Ecclesia universa*

«*Sic apparet universa Ecclesia sicut “de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata”*. LG 4b.

N. 4 in Schema *PH* 2 introducitur ac de opere sanctificantis Spiritus Sancti in Ecclesia tractat.

Textus iste fere immutatus usque ad *LG* manet.

Non bene intelligitur cur legatur ‘*Ecclesia universa*’, si translatio in italicum sermonem quoque, singulariter vertere debuit locutionem in ‘*la Chiesa universale*’.

A. «*Ordo autem Episcoporum ... subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam existit ...*». LG 22b.

B. «*Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur*». LG 22b.

C. «*Collegium, quod sine Capite non datur, dicitur: “subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam existere” ...*». NEP 3°.

Tres hi textus unum idemque obiectum habent, etsi in locis diversis positi sint: quin etiam initio (Schema *PR*) textus A et B propinqui exstabant.

Textus A iam in Schemate antepreparatorio inveniebatur<sup>34</sup> atque in Schema *PR* immutatus transivit, cum respectiva notatione quae quidem *NB.* alicuius ponderis est:

«*NB. Corpus seu collegium de se ab hoc praescindit an sit subiectum potestatis iurisdictionis tantum aut etiam aliarum potestatum*»<sup>35</sup>.

<sup>34</sup> *AD* II/II, III, 1038-1047.

<sup>35</sup> *AS* I/IV, 34.

In Schemate *PH* 1 notatio transfertur, sed in Schematibus recentioribus in contextum originarium redit.

Textus *B* sensum textus *A* resumit, quia inter hos locos aliae propositiones introductae sunt. In Schemate *PR* simpliciter dicebatur: «*Potestas tamen huius Collegii...*». Nostra locutio, e contra, introducitur a Schemate *PH* 2 et permanet usque ad *LG*.

Non est insuper oblivioni tradenda oppositio ex parte Patrum Galliae locutioni '*universa*'. Dum Schema s.d. italicum textui Schematis *PH* 1 vel *PR* consonat<sup>36</sup>, Schema gallicum, in loco parallelo, affirmat:

«*Secundum catholicam fidem in Collegio universorum Episcoporum Petri successori unitorum ordinarie inest suprema et plena potestas regiminis in Ecclesiam universalem (cf. MANSI 52, 1109)*»<sup>37</sup>.

Item in interventibus scriptis super Schemate *PH* 3, et praecise in proponendo textus diversos, loco nostri textus (*A*), duo relativi coetus episcoporum Galliae proposuerunt '*universalis*' loco '*universa*'<sup>38</sup>.

«*Sed qua membra Collegii episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli ea sollicitudine pro universa Ecclesia ex Christi institutione et praecepto tenentur...*». *LG* 23b.

Sufficiat hic animadvertere diversa Schemata varias lectiones protulisse.

---

<sup>36</sup> *SH*. 421.

<sup>37</sup> *Ibid.*, 428.

<sup>38</sup> Cfr. interventus scriptos archiepiscoporum et episcoporum ditionis apostolicae Parisiensis in Gallia (*AS* II/I, 755) necnon provinciarum Aquensis et Avenionensis et dioecesis Massiliensis (*AS* II/I, 765).

«...*pro universa Ecclesia*...» (Schema antepreparatorium)<sup>39</sup>;

«...*erga universam Ecclesiam*...» (Schema PR)<sup>40</sup>;

«...*pro universa Ecclesia*...» (Schema PH 1)<sup>41</sup>;

«...*erga universam Ecclesiam*...» (Schemata germanicum et italicum)<sup>42</sup>;

«...*Ecclesiae universalis*...» (Schema gallicum)<sup>43</sup>.

Tres sunt ergo locutiones frequentiores: *pro* cum ablativo (indicans complementum commodi, staticum); *erga* cum accusativo (ut efferat complementum motus figurati, dynamicum) et genitivus, magis directam et immediatam necessitudinem indicans.

*«Licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed communionis nexum inter se et cum Successore Petri servantes, authentice res fidei et morum docentes in unam sententiam tamquam definitive tenendam conveniunt, doctrinam Christi infallibiliter enuntiant. Quod adhuc manifestius habetur quando, in Concilio Oecumenico coadunati, pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices sunt, quorum definitionibus fidei obsequio est adhaerendum».* LG 25b.

Textus adest usque a Schemate antepreparatorio<sup>44</sup>. Ibi agitur de 'munere docendi episcoporum' et praecisius de magisterio ordinario et universali, necnon de Concilio Oecumenico.

*«Quo autem melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singuli a Summo Pontifice, ratione ipsius in universam Eccle-*

<sup>39</sup> AD II/II, III, 1038-1047.

<sup>40</sup> AS I/IV, 26.

<sup>41</sup> AS III/I, 217.

<sup>42</sup> SH, 388. 421.

<sup>43</sup> *Ibid.*, 428.

<sup>44</sup> AD II/II, IV, 621-623.



*siam primatus, intuitu utilitatis communis, ab Ordinariorum loci iurisdictione eximi et ei soli subici possunt». LG 45b.*

Textus iste inde a Schemate *PR* invenitur et refertur ad primatum, praecise cum exclusione Collegii episcoporum, etsi contra hanc restrictionem haud paucae suggestiones exstant<sup>45</sup>. Pater quidam suggestit:

*«Cum vero Ecclesiam universalem non ingrediatur nisi per Ecclesiam localem, ipsi agnoscant se in Ecclesia locali partem habere et animatricem ipsius communitatis portionem constituere»<sup>46</sup>.*

Emendatio haec reiecta est, sed bene mentalitatem sat diffusam in parte quadam Patrum conciliarium in lucem ponit.

#### *Brevis synthesis conclusiva*

Interpretatio datorum qui in nostra possessione sunt perquam difficilis evadit et nihilominus perquam necessaria. Si enim valedicimus cuilibet interpretationi, periculum sic dictae 'instrumentalizationis' textuum minime minuitur, quin immo augebitur quoniam examinanti inesse necesse est inscia fortasse quaedam interpretatio.

Huic periculo obviari potest explicitando aliquam interpretationem datorum, conscii quidem quandam

---

<sup>45</sup> «Sería conveniente mostrar que los religiosos exentos no están sustraídos del todo a los obispos locales para depender exclusivamente del Papa. En razón de su pertenencia al colegio episcopal y de la responsabilidad que cabe a todos los obispos en el cuidado del bien general de la Iglesia entera, se puede decir que ellos también contribuyen a establecer la exención de ciertas congregaciones religiosas en miras al bien universal (y no geográficamente circunscrito) de la Iglesia ...» (Schema chilense; *SH*, 405).

<sup>46</sup> *AS III/VIII*, 134, *Modus 41*.

esse *fatalem*, scilicet inevitabilem, sed talem quae maioris partis datorum rationem quantum fieri potest reddat.

*Alia data*

Quoad locutionem '*Ecclesia universa*':

- a) bis recurrit in *LG* 22 et semel in *LG* 23;
- b) ter recurrit (et semel in *NEP*) in locutionibus: «*potestas/primatus in ...*, et accusativum»<sup>47</sup>;
- c) paene exclusive (quater ex quinque vicibus; semel vero in *NEP*) episcopis refertur: bis uti singulis et bis (et semel in *NEP*) uti in Collegio coadunatis;
- d) minime locutionibus '*Ecclesia particularis, Ecclesia localis*' per oppositionem refertur;
- e) semel uti subiectum adhibetur et semper deinceps in sequentibus nexibus: *in* et accusativum, *pro* et ablativo.

Quoad locutionem '*Ecclesia universalis*':

- a') sexies recurrit in *LG* 23 et semel in *LG* 22;
- b') numquam legitur in nexu cum locutionibus '*primatus/potestas*';
- c') directe Summo Pontifici in duobus textibus (et in *NEP*) refertur et nexus cum episcopis in aliis duobus textibus negatur;
- d') quater instauratur nexus cum expressione '*Ecclesia particularis*'<sup>48</sup>;

---

<sup>47</sup> Eadem significatio recurrit in *LG* 23b: «*Sed qua membra Collegii episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli ea sollicitudine pro universa Ecclesia ...*» (sublineatio nostra).

<sup>48</sup> Cfr., ex. gr., *LG* 23a: «*Collegialis unio etiam in mutuis relationibus singulorum Episcoporum cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaque universali apparet ... Episcopi autem singuli visibile principium et fundamentum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus*

e') semper in genitivo casu vel in accusativo adhibetur. Semel negatur locutio *super* cum accusativo<sup>49</sup>.

### *Translationes*

Translationes in modernos sermones aliae aliter vertunt hos terminos.

Versio italica<sup>50</sup> perquam exacta est in diversitate locutionum extollenda: '*Ecclesia universalis*' et '*Ecclesia universa*'<sup>51</sup>.

Item par diligentia ad diversitatem locutionum attendit eamque reddit versio germanica<sup>52</sup>.

---

ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, *in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica existit*» (sublineatio nostra).

<sup>49</sup> «*Singuli Episcopi, qui particularibus Ecclesiis praeficiuntur, regimen suum pastorale super portionem Populi Dei sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem exercent*» (LG 23b; sublineatio nostra).

In Schematibus ab antepreparatorio usque ad PH 1 legebatur '*Ecclesia universa*' (cfr. AD II/II, III, 1040; AS I/IV, 27; SH, 113-114). Mutatio a Schemate PH 2 iustificatur et propter mutationem textus («*in aliam ... ac sibi commissam Ecclesiam*» (PH 1); «*non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem*» (PH 2) et propter quamdam attractionem locutionum '*Ecclesia universalis*' in initio n. 23 bis adhibitarum.

<sup>50</sup> Cfr. *Enchiridion Vaticanum*. 1. Documenti del Concilio Vaticano II. Testo ufficiale e traduzione italiana, Bologna 1979<sup>11</sup>.

<sup>51</sup> Dum '*Ecclesia universalis*' reddit '*Chiesa universale*', translatio italica semper vertit '*Ecclesia universa*' locutione '*tutta la Chiesa*', praeterquam in duobus casibus: LG 4b (cfr. supra) et NEP 3°, ubi eundem textum LG 22b ibi relatam vertit: '*Chiesa universale*'.

<sup>52</sup> Cfr. *Das Zweite Vatikanische Konzil*. Konstitutionen, Dekrete und Erklärungen. Lateinisch und deutsch. Kommentare, I, in *Lexikon für Theologie und Kirche*, Freiburg-Basel-Wien 1967, 137-360. Translatio ista vertit locutionem '*Ecclesia universa*' semper '*die ganze Kirche*' excepto uno tantum casu, LG 23b scilicet ubi legitur: «*die Gesamtkirche*». Locutio autem '*Ecclesia universalis*'

Translatio autem hispanica <sup>53</sup> fere semper '*Ecclesia universa*' reddit ac si esset '*Ecclesia universalis*' <sup>54</sup>.

Aequivoca apparet verso gallica <sup>55</sup> quae non videtur locutiones distinguere <sup>56</sup>.

### *Brevis conspectus syntheticus*

Inter '*Ecclesia universa*' et '*Ecclesia universalis*' evidentissima distantia deest: utraque locutio ad Ecclesiam refertur realitatem eius complexivam indicando. Attamen diversimode.

Prior locutio scilicet '*Ecclesia universa*' aspectum quantitativum realitatis Ecclesiae innuere intendit: videt *totum ut summam*. Dicitur enim '*universus*' ex '*universitate*', quae definitur ut totalitas contra '*partem*' et

---

semper redditur expressione '*die Gesamtkirche*', si exclusionem facimus LG 2a («*die allumfassende Kirche*») et LG 19 («*die universale Kirche*»).

<sup>53</sup> Cfr. *Concilio Vaticano II*. Comentario a la Constitución sobre la Iglesia, in *Biblioteca de Autores Cristianos*, Madrid 1966, 1-109.

<sup>54</sup> Omnino indifferens versio hispanica evadit circa locutiones '*Ecclesia universa*' et '*Ecclesia universalis*': una expressione tantum utitur: «*la Iglesia universal*». Tres tamen dantur exceptiones: LG 23d ubi omittit '*universalis*'; LG 4b et LG 45b ubi '*Ecclesia universa*' redditur '*toda la Iglesia*'.

<sup>55</sup> Cfr. *Vatican II*. La Constitution dogmatique sur l'Eglise «Lumen Gentium». L'Eglise de Vatican II, I. Texte latin et traduction par P.-Th. Camelot, o.p. avec la collaboration de Y. Congar, o.p., H. Legrand, o.p., et A.-I. Mennesier, o.p., Paris 1966.

<sup>56</sup> Versio gallica semper reddit '*Ecclesia universalis*' locutione '*L'Eglise universelle*', excepta eiusdem omissione in LG 23b: «...cette sollicitude pour l'Eglise universelle, qui, bien qu'elle ne s'exerce pas par un acte de juridiction, concourt cependant au plus haut point au bien de l'Eglise (hic occurrit omissio)». '*Ecclesia universa*', e contra, diversimode vertitur: in LG 22b (bis) et LG 25b locutione '*toute l'Eglise*'; in LG 23b, 45b et NEP 3° '*L'Eglise universelle*', dum in LG 4b locutione '*L'Eglise tout entière*'.

'portionem' <sup>57</sup>. Hoc modo usus principalis eiusdem expressionis in *LG* explicatur, ubi componitur cum locutionibus «*potestas in*» et «*primatus*».

Hoc modo quoque explicatur cura maxima qua Codex Iuris Canonici omnino vitat locutionem '*Ecclesia universalis*', quae numquam in eiusdem textu apparet. Locupletissime, e contra, utitur locutione '*Ecclesia universa*', etiamsi et Concilium et usus praevalens in theologia alteram expressionem magni faciant <sup>58</sup>.

Simili modo Codex Iuris Canonici anni 1917 numquam mentionem faciebat de locutione '*Ecclesia universalis*', dum, e contra, undecies in eo recurrebat expressio '*Ecclesia universa*' <sup>59</sup>.

'*Ecclesia universalis*', e contra, aspectum qualitativum complexus Ecclesiae intendit: videt *totum ut unum*. Praesupponit ergo principium aliquod formale huius unitatis propter quod divisio prorsus impossibilis evadit.

Ex hac summaria lucubratione desumi debet '*Ecclesia universa*' et '*Ecclesia universalis*' conceptus correlativi et complementares esse. Prior in lucem po-

<sup>57</sup> Cfr. CALONGHI F., *Dizionario latino-italiano*, Torino 1972<sup>3</sup>, 2832.

<sup>58</sup> Vicies novies Codex Iuris Canonici utitur locutione '*Ecclesia universa*': cann. 209 §2; 256 §2; 257 §1; 331; 333 §§1-2; 335-336; 337 §§1.3; 345; 349; 360; 392 §1; 529 §2; 591; 749 §2; 756 §1; 782 §2; 819; 838 §2; 841; 1244 §1; 1246 §1; 1250; 1255; 1257 §1; 1258; 1271. Solummodo quater translatio italica Codicis non vertit '*Ecclesia universa*' locutione '*Chiesa universale*': cann. 333 §2; 749 §2; 841 et 1246 §1 (cfr. *Enchiridion Vaticanum* 8. Documenti ufficiali della Santa Sede (compreso il Codex Iuris Canonici) 1.1.1982 - 25.1.1983. Testo ufficiale e traduzione italiana, Bologna 1984, passim).

<sup>59</sup> Cfr. cann. 7; 218 §1; 228 §1; 873 §1; 1244 §1; 1247 §1; 1327 §1; 1395 §1; 1431; 1497 §1; 1498.

nit aspectum materiale[m] Ecclesiae universalis, id est, qua componitur in sua dimensione spatio-temporali ut summa partium.

Alter evidentem reddit aspectum mystericum Ecclesiae universae, id est qua animatur ab unico Spiritu et tota praesens est in suis partibus. Semper itaque una eademque Ecclesia est quae, una vice consideratur sub aspectu quantitativo (et ergo divisibilis evadit), altera vice sub aspectu qualitativo (et ergo indivisibilis evadit).

Hoc honestat utramque visionem, quin immo necessitatem non reducendi Ecclesiam universalem nec ad meram summam Ecclesiarum particularium nec ad meram Ecclesiam invisibile[m] sublineat.

Et hoc quidem, quod saepesaepius oblivioni mandatur<sup>60</sup>, non solum in claris doctrinis a LG propositis fundatur, sed speculum quoddam in ipsa terminologia LG invenit.

G. PAOLO MONTINI

---

<sup>60</sup> Non intelligi potest, ex.gr., cur Codex Iuris Canonici oblivioni tradat vocem illam 'Ecclesia universalis', et, ex alia parte, alii textus mentionem omittant 'Ecclesiae universae'.

Quoad hunc alterum casum videris quoddam documentum ex C.E.I. latum: «*L'impegno missionario della Chiesa italiana*». In n. 22 legitur: «*Non va, dunque pensata la Chiesa universale "come la somma, o, se così si può dire, la federazione più o meno eteroclita di chiese particolari essenzialmente diverse", perché le chiese particolari "sono formate ad immagine della Chiesa universale, ed in esse è costituita l'una ed unica chiesa cattolica"*». Et in citatione LG 23a oblivioni traditur quod illic Ecclesia catholica in et ex Ecclesiis particularibus constituta esse dicitur.